

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica post circumcisionem domini

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)


diligentibus se calicem refrigerii propinabit, ut non amplius aquam lacrymarum, sed vinum defecatum bibant, *Esa. 25. v. 6.* & præ exultatione cordis jubilent in æternum, *Esa. 65. v. 14.*

Interea expecta Dominum, *Psal. 27. v. ult.*

Maria, Imperatoris Ferdinandi I. filia, Wilhelmi Ducis Cliviæ conjux pro insigni gessit arborem fructu & foliis nudatam, qualiter arbores, hyeme esse solent, quando folia deciderunt, cum hæc inscriptione: Gaudium meum spes est.

Quamdiu in mundo hoc vivimus, multæ nos tribulationes affligunt, nudi & inopes incedimus, pietas quasi demortua, & charitas in cordibus hominum refriguit, *Matth. 24. v. 12.* sed jucundissimam æstatem præstolamur, dicentes: Gaudium meum spes est.

Quilibet det operam, ut bonam militet militiam, fidem & bonam conscientiam habeat, *1. Tim. 1. v. 19.* sic de redemptione prorsus securus, cum Paulo dicere potest: Bonum certamen certavi, *2. Tim. 4. v. 7. 8.* Adjuverid nos JESUS CHRISTUS, Amen.



DOMINICA POST CIRCUMCISI- ONEM DOMINI.

Evangelium Matth. 2. v. 13. usque ad fin.

EXORDIUM.

DEDIT DEUS Israëlitis inter alia hanc quoque legem: Non coques hædum in lacte matris suæ, *Exod. 23. v. 19.*

Id mysticè intelligendum,

Christus Servator noster verus hædus expiatorius est, in quo cœlestis Pater peccata totius mundi reposuit, eaque in montem Calvariæ perferri iussit, ubi ipse ea pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus, *1. Petr. 2. v. 24.*

Jacobus benedictionem à patre suo Isaac consequuturus, pelliculas hædorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit, *Genes. 27. vers. 26.* Eodem modo cœlestis quoque Jacobus, Servator noster pientissimus JESUS CHRISTUS semen Abrahæ assumpsit, & quia pueri participarunt carni & sanguini: & ipse similiter participavit eisdem, *Hebr. 2. vers. 14. 15.* Hoc modo in gentes benedictio Abrahæ facta est in CHRISTO JESU: & nos pollicitationem

tionem Spiritus accepimus per fidem.
Gal. 3. v. 14.

Propterea optimus Servator multa sustinere coactus fuit. Herodes in ipsa infantia vitæ ejus insidiatus est, ut ideò fugâ sibi consulere, ut Jacob, inque Ægyptum secedere necessum habuerit. Hædus enim non mactandus erat, dum lactabatur, in infantia: sed tempus attingere debebat, quod in decreto S. S. Trinitatis passioni & morti ejus deputatum erat, Act. 2. v. 23.

Hæc de re instruimur in prælectâ Pericope, quomodo Deus pro Filio suo vigilaverit, & de insidiis Herodis sanguinariis, Iosephum, patrem Christi putativum præmonuerit, per Angelum inquires: Surge & accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum: & esto ibi, usque dum dicam tibi. Futurum est enim, ut Herodes quarat puerum, ad perdendum eum. Cui mandato Ioseph fideliter obtemperavit, & ita periculum indemnis evasit.

Videbimus nos pro instituti ratione:

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

J. J.

Exegetis.

Quando sacras Scripturas evolvimus, in iis varias similitudines invenimus, sub quibus vita humana delineatur. David eam scæno, & flori agri comparat, Psal. 103. v. 15. Hiskias texenti, Esa. 38. v. 12. Paulus τὸ ρῶν vocat, sive momentum, Rom. 8. v. 18. Hinc ille Philosophus

interrogatus quid esset vita? oculos clausit & mox aperuit, indicans, quod subitanea ea mutationi obnoxia esset.

Alii Tragædiæ eam conferunt, ubi ultimus Actus semper mortem representat. Quamvis enim Medicus multum laboris in curando morbo corpore insumit; tamen hodie Rex est, & cras moritur, Sirach. 10. vers. 11. 12. alii candelæ, quæ aliis lumen præbet, & seipsum consumit. Quotidiè enim propius ad sepulchrum accedimus, ad quod multum conferunt curæ & labores, quos in serviendo proximo suscipimus. Unde Siracides cogitationes hominum, timores cordis, ad inventionem expectationis & diem finitionis conjungit, c. 40. v. 2. Confertur & Organo pneumatico, quamprimum enim aer deficit, qui per folles in fistulas defertur, vox quoque deficit: sic quando Spiritus hominis aufertur, vita ejus deficit, & in pulverem revertitur, Psal. 104. v. 29.

Imprimis verò Jobus eleganter eam depinxit, his verbis: Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur, & abscinditur, & fugit velut umbra, & non stat, Job. 14. v. 1. 2.

Exemplum habemus in prælecto Evangelio, ubi Ioseph è somno excitatur, ut cum Maria & puerulo in Ægyptum fugiat, & ita gladium Herodis effugiat.

Querela proponit

I. *Christi exitium.* Vix enim nato, Herodes insidias vitæ ejus tendebat, ut per Angelum admonitus in Ægyptum aufugere teneretur.

Magna

Magna hæc fuit miseria, imprimis quando tempus inspiciamus. Nam ut ex Evangelio patet, noctu id factum, quæ ut Proverbio dicitur, nemini amica est. Idem adhuc hodie piis quandoque accidit:

Exulera Christum, comites nos exulis hujus

Esse decet, cujus nos quoque membra sumus.

Id ipsum accidit Eliæ ab Isabel fugienti, 1. Reg. 19. v. 4. Amos, Amos. 7. v. 13. Apostolis, 1. Cor. 4. v. 11. Tribus prioribus post ad censum Domini seculis, persecutio persecutionem pressit, ut Christiani in sylvis, foraminibus petrae, & terræ hiatus delitescere coacti fuerint, quo vitam conservarent: nomen eorum adeo exosum erat, ut à Paganis non aliter quam Asinarii, item Sarmentitii appellarentur: & si forte Tiberis exundaret, aut Pestilentia grassaretur, aut aliud malum ingrueret, Christiani id imputabatur, ideoque vel exilio multabantur, vel alio inaudito martyrio & tormento trucidabantur. Nostra ætate quoque non semel factum est, ut pii Christiani, bellica tempestate, vel iniqua Reformatione adacti, solum vertere, adeoque facultates suas relinquere, coacti fuerint.

Hæc miseria non leviter æstimanda est. Nam *οἱ κτ. φιλ. κτ. οἱ κτ. ἀγρ. κτ.* Quando vero ædes propriae deserendæ, & in peregrinatione vita degenda est, multæ injuriæ devorandæ sunt, quolibet insultante & dicente: Pone in terram corpus tuum, & in plateas transeuntibus, Esa. 51. v. 23.

Cum Isaac peregrinus in Palæstina esset,

Palæstini invidabant ei, quod Dominus benedixerat ei, ut inveniret in ipso anno centuplum, & obstruebant ipsi puteos, Gen. 26. v. 12. Lotho Sodomitæ objiciebant: Unicus ille venit ad peregrinandum, & judicaret nunc nos? Gen. 19. v. 9.

David peregrinus erat cum Mesech, & habitabat cum tabernaculis Cedar, id valde affligebat ipsum, hinc dicit: Multum animæ meæ habitare cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis, Psal. 120. vers. 6. 7.

Adhuc hodie alienigenæ, ubi degunt, parum grati & accepti sunt, ideo DEUS ipse in verbo suo eorum rationem habet, eosque lædi prohibuit, Deut. 27. v. 19.

Quod si igitur & tu propter Evangelium in exilium migrare cogaris, solatio hoc sustenta te, quod Christus tibi comes adsit, & dic cum B. Luthero: Si terra nos non capiet, cælum capiet, ubi firmam mansionem habemus, quam Christus nobis per abitum suum ad Patrem paravit, Joh. 14. v. 3. unde nemo nos expellet, aut exturbabit, sed erimus cum Christo semper, 1. Thess. 4. v. 17.

2. *Herodis ingenium*, quod Evangelista ita describit: Futurum est enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Hoc omnium Tyrannorum ingenium & proprietas est, ut sanguinem sitiant, & atrentur, se cultum præstare Deo, Joh. 16. v. 2. Id factum est in ipso Ecclesiæ primordio. Stephanus protomartyr fuit, quem Judæi lapidibus obruerunt, Act. 7. v. 57. Hunc multa millia securi sunt, propterea à Veteribus vocatur, primicerius, quia cæteris quasi cereum prætulit. Quid Apostolis

lis accidit? Paulus & Jacobus decollati, Act. 12. v. 2. Petrus & Andreas cruci suffixi sunt, Bartholomaeus vivus excoriatus est. Alii vero ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, &c. Hebr. 11. v. 36. seqq.

Non suffecit id. Verum Imperatores Ethnici Domitianus, Trajanus, Diocletianus, Maximinus alique tantam Tyrannidem exercuerunt, ut Christianorum sanguis tanquam aqua effusus, Psal. 79. v. 3. ita ut Eusebius scribat, die quodam carnifices homicidiis delassatos, & gladios eorum hebetatos fuisse, ideoq; eos reliquos Christianos gregatim in aquas propulisse & suffocasse. Postea per Mahometem in Oriente, & Anti-Christum in Occidente id ita continuatum est.

Cum Solymannus A. C. 1529. urbem Viennam obsideret, adeo saeviebat, ut infantes frustulatim dissecaret, sceminas vero & senes palis & hastis suffigebat, ut summo cruciatu vitam finierint. Tandem, ubi re infecta discedere coactus fuit, sexaginta Christianorum millia secum in tristissimam servitatem abduxit, ut non incommode huc applices: Comederunt adipem in saturitatem, & biberunt sanguinem in ebrietatem, Ezech. 39. v. 19.

Quantus Christianorum sanguis sub Pontificis Romani Tyrannide effusus est in illis, qui Deum suum Maozim venerari noluerunt, Dan. 11. v. 38. D. Saccus alicubi recenset, intra triginta annos, nempe ab anno 1550. usque ad annum 1580. novies centena millia hominum, in Germania, Britannia, Gallia, Hispania & Italia

M. Steph. Ritter. Flor. Hist. p. 301. refert ex Wolffio, et hic ex Epistola Antonij Lojevini, jesuita, inderenni patris ultra 50000. hoies in Gallia et Belgio fuisse trucidatos, adjuvamento videlicet Hispanice inquisitionis.

propter Evangelii professionem occisa esse: quos inter 39. Principes, 148. Comites, 235. Barones, 147518. Nobiles, ex plebeis vero septies centena millia & sexaginta fuisse. Nuptias Parisienses Anno 1572. viginti, vel ut alii volunt, triginta Christianorum millia absumserunt.

De Duce Albano refertur, quod è Belgio discessurus, epulas magnificas apparaverit, in quibus dixerit, si quaratur quid in Belgio gesserit, responderent modo, se manu carnificis octodecim millia Belgarum necasse. Ita purpurata est universa terra sanguine Martyrum.

Sanguine fundata est Ecclesia, sanguine crevit,

Sanguine succrevit, sanguine finis erit.

Christus sponsum sanguinum est, Exod. 4. v. 25. hic praecedit, qui minister ejus esse vult, non gravetur eum sequi, non modo quando panes distribuit, Joh. 6. v. 2. aut nuptias frequentat, Joh. 2. v. 2. sed etiam, quando in horto Oliveti sudorem sanguineum emittit, vel plane ad montem Calvariae procedit. Interea hoc certum est, si commortui fuerimus, & convivemus, 2. Tim. 2. v. 12.

3. Triste hospitium, quod Evangelista inquit, inquit: Fuge in Aegyptum. Haec quasi Diaboli spelunca fuit, ubi cum idololatia omnis generis peccata & flagitia invaluerant, eo Jesus recens natus se conferre, populorumque horum barbarorum hospitio uti jubetur: ita Deus mirabile fecit consilium, & magnificavit sapientiam, Esa. 28. v. ult.

Nos dilecti! in mundo habitamus, qui totus

totus in maligno positus est, 1. Joh. 5. v. 19. quid is aliud est, quam Barbarica & desolata Ægyptus, ubi opera tenebrarum sine propudicio exercentur, Eph. 5. v. 11. Bernhardus ait: Mundus est, ubi malitiæ plurimum, sapientiæ parum. Lutherus noster vocat *stabulum pessimorum hominum*. Hic inveniuntur homines idololatræ, ut Aaron, Exod. 32. v. 5. Homines, qui nomen Dei adhibent in vanum, sicut blasphemus ille filius Israëlitis, quem pepererat de viro Ægyptio, Levit. 24. v. 10. Homines, qui Sabbathum prophanant, ut ille, qui ligna colligebat, ideoque lapidatus, Num. 15. v. 32. seqq. Homines qui Parentibus & Magistratui sese opponunt, ut Absolon, 2. Sam. 16. v. 7. 22. Homines, qui cœdibus & adulteriis se contaminant, instar Davidis, 2. Sam. 11. v. 4. Homines, qui furtum committunt, ut Achan, Jos. 7. v. 20. Homines, qui falsum testimonium dicunt, ut Judices illi nequam, Hist. Sus. v. 34. Homines, qui proximi facultates concupiscunt, ut Achab, vineam probi Naboth desiderans, 1. Reg. 21. vers. 2.

Augustinus scribit, Ægyptios Regnum suum cœlo contulisse, & æqualle, adeo verò fallaces fuisse, ut si hominem impostorem denotare velimus, eum *αἰγυπτίαζειν* in Proverbio dicamus, ut Erasmus exponit. Ita non pauci inter nos occurrunt, qui fallacem hujus mundi Ægyptum, loco cœli sui æstimant, & sapientes sunt ut faciunt mala; bene autem facere nescierunt, Jer. 4. v. 22.

Magna hæc miseria est, quod ita cum spinis & scorpionibus habitare teneamur, Ezech. 2. v. 6. ideo accurata cautione opus est, ne & ipsi inficiamur, sed lucea-

mus sicut luminaria in mundo, in medio nationis pravæ atque perveras, Phil. 2. v. 15.

Cum Moser grandis factus esset, negavit se esse filium Pharaonis: magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalem peccati habere jucunditatem, Hebr. 11. v. 24. seqq.

Nos vestigiis ejus insistentes, seculum hoc non diligamus, uti Demas, 2. Tim. 4. v. 10. sed omnia, quæ in eo sunt, pro detrimento & stercore habeamus, ut Christum lucrifaciamus, Phil. 3. v. 8. Mundus enim transit & concupiscentia ejus, 1. Joh. 27. v. 1.

De Secundo.

Sequitur *Triplex Medela*, quæ fluit
1. *Ex Angelica excubatione*, qua pro Jesulo recens nato vigilant. Hinc Evangelista: Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, & accipe puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum.

Hic verum esse deprehendimus, quod David ait: Custos Israel non dormit, neque dormitat, Psal. 121. v. 20. Joseph nullius periculi conscius erat, & haud dubie in manus Herodis devenisset, nisi ab Angelo præmonitus fuisset. Ita adhuc hodie Deus Angelis suis mandavit de nobis, ut custodiant nos in omnibus viis nostris, Psal. 91. v. 11. Sunt enim Spiritus administratorii, Hebr. 1. v. 14.

Impii Sodomitæ fores pii Lothi effringere volebant noctu. Verum Angelus Domini tuebatur ipsum, eosque cœcitate percussit,

cussit, ut ostium invenire non possent, Gen. 19. v. 11.

Syri Elisæum in oppido Dothan circumdederant, eumque non elapsurum putabant: Verum S. Angeli in circuitu Elisæi in forma equorum & curruum ignitorum erant, ne damnum ipsis inferretur, 2. Reg. 6. v. 14. 18.

Socii Danielis in medium furnum ignis ardentis mittebantur: Verum Angelus Domini descendit cum eis in fornacem: & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis, quasi ventum toris flantem, ideo indemnes exibant, quin & odor ignis non transiverat per illos, Dan. 3. v. 25. seqq.

Hoc solatium nos quoque manet, si Deum timemus, & peccatis valedicimus, quibus sancti Angeli abiguntur, sunt enim Spiritus sancti, & qui patrocinio eorum gaudere vult, nunc & ipsam sanctimoniam sectari oportet, sine qua nemo videbit Deum, Hebr. 12. v. 14.

2. *Ex fuga limitatione.* Ita enim Angelus: Esto ibi, usque dum dicam tibi.

Hanc consolationem quilibet Christianorum arripere, sibi que applicare debet. Quia non repellit in sempiternum Dominus, Thren. 3. v. 32.

Equidem tempus quandoque nimis longum videtur, ut animis cadamus, cum Davide dicentes: Nunquid in æternum projiciet Deus, & non amplius placabilis erit, Psal. 77. v. 8.

Verum in Dei oculis modicum saltem est, teste Christo, Joh. 16. v. 16. momentum in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus, Psal. 30. v. 6. ideo acquiescamus in voluntate ejus, reputantes nobiscum, satius

esse hic temporaliter corripi, quam cum mundo damnari, 1. Cor. 11. v. 31. Ibi enim nulla redemptio est, Psal. 49. v. 9. sed hic scimus, non in æternum daturum esse afflictionem justo, Psal. 55. v. 23. verum post lachrymationem & fletum exultationem infundit, Tob. 3. v. 22.

3. *Ex Tyrannorum degradatione.* Defuncti enim sunt, dicit Angelus, qui quærebant animam pueri. Sic tandem Herodes mortuus est, & quidem morte perquam horrenda ut Josephus testatur. Ipsa verba Josephi, quæ extant lib. 17. cap. 8. Antiq. Jud. non gravabor adscribere: Regi inquit, morbus factus est gravior, pœnam impietatis exigente Numine. Lento enim calore torrebatur, qui non tam externo tactu deprehenderetur, quam intrus depopularetur viscera. Aderat vehemens voracitas, cui necesse esset, continuo cibos suggerere, simulque vexabatur intestinorum exulceratione, & colicis compassionibus. Pedes tumebant Phlegmate humido & pellucido, similiterque inguina: ipsa quoque verenda putrefacta scatebant vermiculis, accedente fœda nec minus molesta tentigine, non sine fœtore gravissimo: super hæc omnia nervorum contractione laborabat, & difficultate anhelitus. Quamobrem constans erat inter viros divinos & fatidicos opinio, *Regem læsa tot modis pietatis Deo pœnas expendere.*

Plura exempla facile adduci possent, quomodo Deus Tyrannos tandem præcipitarit, & virgam, qua fideles suos castigavit igni mancipaverit. Verum hac vice opera hac superfedemus, hoc solatio freti, quod licet gentes fremant, & adstant Reges terræ, & Principes consultant adversus

Dominica post Circumcisionem Domini.

57

versus Dominum, & adversus Christum
ejus, Psal. 2. v. 1. excelsior excelsis sit custos,
Eccles. 5. v. 7. qui Tyrannis illis resistere
possit, Furor hominum est laus, ejus reli-
quii furoris accinget se, Psal. 76. v. 11.

Quoties adhuc hodie accidit, ut hic
vel illo Magnatum Tyrannidem in suos
exerceat, hoc Symbolo utens: Quod libet,
licet.

Sunt arma, vis, potentia.

Statuta nostra sint rata

Culpare quis præsumet?

Sed ex improvise à Deo abripitur, ut
dicere possis: Defuncti sunt. Interea vero
patientia nobis necessaria est, Hebr. 10. v.
36. ut præstolemur cum silentio salutare
Dei, Thren. 3. v. 26. dum placeat ei fide-
bus suis succurrere:

Scit ipse tempus optimum,
Nobisque nullum dat malum,
Spes hæc reposita nobis.

Ipsè faciet, Psal. 37. v. 4.

De Tertio.

Restat Cautela, quæ tribus absolvitur
Regulis, quarum

I. *Deo obtempera.* Josephus sat causæ
habuisset, cum Angelo disputandi: mirum
enim mandatum erat, quod cum tenero
puerulo in Egyptum fugere deberet.
Quomodo hæc sibi respondebunt, dicere
potuisset, hincine infantulus futurus est
Dominus, ut Angelus Pastoribus Bethle-
hemiticis annunciavit, Dominus gloriæ,
Psal. 24. v. ult. Immanuel, Esa. 7. v. 14. salus
Dei, usque ad extreimum terræ, Esa. 49. v. 6.

Qui fitigitur, ut Herodem metuere, & ad
effugiendam ejus Tyrannidem in Egi-
ptum abire debeamus, ubi multa sunt
somnia, plurimæ sunt vanitates, Eccles. 5.
v. 6. non opus est fuga, quia Dominus
pro Omnipotentia sua puerulum serva-
bit.

Verum id Josephus non fecit, sed conti-
nuo se in pedes conjiciens fugæ se accinxit,
prout Angelus mandaverat.

Hoc ipso nobis Joseph ad exemplum
propositum est, ut quilibet in vocatione
sua mandatis Domini sese subjiciat, & sine
tergiversatione voluntatem ejus expediat.
Obedientia enim melior est victimis, 1.
Sam. 15. v. 22. Esa. 1. v. 19. 20.

Quando terreni Magnates subditis suis
quicquam præcipiunt, debitum suum
reverenter observant, & sæpe plus faciunt,
quam debent. Siquidem Fulgositus scribit,
in Persia populos quosdam esse, qui di-
cuntur Assasini, qui Regem suum Senem
appellant, eique tanta obedientia infer-
viunt, ut vel de rupe se ad libitum ejus præ-
cipitent, velea præstent, quæ sine vitæ peti-
culo efficere nequeunt.

Quantò magis nos Regi Regum, &
Domino Dominantium obedientiam
præstemus, in omnibus, quæ nobis præ-
cepit. Mandata enim ejus gravia non
sunt, 1. Joh. 5. v. 3. sed quod præcipit no-
bis, ipse ante fecit nobisque exemplo suo
prævit, ut insistamus vestigiis ejus, 1. Petr.
2. v. 21.

Quod si id minus facimus, nil nisi iram
& indignationem expectemus, necesse
est. Deus enim noster fortis Zelotes est,
qui non modo corpus, sed & animam

h

& cor-

& corpus perdere potest in gehennam ,
Matth. 10. v. 28.

Cum Scipionem Majorem in Sicilia percontaretur quidam , quâ refretus classem educere pararet in Africam ? ostendit viros armatos trecentos sese exercentes , præterea turrim excelsum mari imminentem & ait : Nullus horum est , qui non conscensa turri semet in mare præcipitatus sit , si jussero.

Quid ni magis nos Deo nostro obedientiam præstemus , qui scimus , quid bonum sit , & quid Dominus requirat à nobis , Mich. 6. v. 8. ne Deus querelam Esaiæ reperere teneatur : Cognovit bos possessorem suum , Esa. 1. v. 3. seqq.

Hoc si præstiterimus benedictione ejus ornabimur , & corpore & anima , hic temporaliter & ibi in æternum , Deut. 28. 3. seqq. Pietas enim ad omnia utilis est , 1. Tim. 4. vers. 8.

2. *Mutationem expecta.* Hic audimus Angelum Josepho indicare , quamdiu in Ægypto perseverare debeat , nempe usque ad obitum Herodis.

Id consolatione plenum est. Deus enim unicuique quasi dementum suum dedit , quanta pati debeat propter nomen ejus , Act. 4. v. 16. tempus quoque definivit , quousque duraturum sit , Dan. 9. v. 24. Imprimis vero Tyrannis certos limites præscribit , quos transilire non possunt. Usque huc venies , & non procedes amplius , & hic confringes tumentes fluctus tuos , Job, 38. v. 11.

Nos quando hora auxiliatrix ventura sit , non novimus , hoc vero exploratum est prorsus , quod non emanabit. Dominus enim fidelis est , nec sinit quenquam tentari supra id , quod potest , 1. Cor. 10. v. 13. Interea expecta Dominum , Psal. 27. v. 14. hoc bonum est , Thren. 3. v. 26. fide & patientia enim hæreditamus promissiones , Hebr. 6. v. 12. Hinc David , Psal. 94. v. 12. seqq.

Requiritur hic

1. *Cor Davidicum* , quod omnia terrena alto supercilio despiciat , & unicè Deum suspiciat. Inquit enim : Quid enim mihi est in cælo ? Psal. 73. v. 25. 26. Hoc modo omnia adversa facile superabimus. Qui enim clementem Deum in cælis habet , non multum recordatur dierum vitæ suæ , eò quod Deus oecupet gaudio cor ejus , Eccl. 5. v. 19.

2. *Cor Jobicum* , quod tribulationes à Deo non avertant , sed sit spe gaudens , in tribulatione patiens , Rom. 12. v. 12. Exemplo sit Jobus , c. 1. v. 21.

3. *Cor Jacobicum* , quod oratione instet , & nunquam desistat , dum benedictio sequatur , Gen. 32. v. 26. Matth. 7. vers. 7.

III. *Scripturam pondera.* Eò Evangelista nos relegat , quando in calce Evangelii indicat , quare hoc factum sit , nempe ut impleatur , quod per Prophetam dictum est , dicentem : Ex Ægypto vocavi Filium meum.

Id quidem literaliter de Israëlitis intelli-

telligendum est, qui sæpe in Scripturis Filius Dei, Filius Dei carissimus, Jer. 21. v. 20. Filius Dei primogenitus appellantur, Exod. 4. v. 22. De hoc Filio suo dicit Deus: quodeum Ægypto eduxerit, & in terram Canaan introduxerit, sicut Historia illa prolixè describitur Exod. 3. 4. 5. cap. & seqq. Verum mystice hic notatur Jesus recens natus, cujus typus populus Israeliticus fuit, ut in aliis ita præcipue in hoc, quod Dei primogenitus Filius vocatur, ille quidem in Palæstina natus, sed qui postea tempore Josephi, ob annonæ caritatem in Ægyptum migravit. Ita Christus unigenitus in sinu Patris etiam in Palæstina natus, verum in ipsa infantia, propter Herodem in Ægyptum fugere coactus est, ut ibi asyllum inveniret, & gladium Herodis, quod jam tum acuerat, effugeret.

Quemadmodum vero Israëlita post obitum Pharaonis, vicissim per mare rubrum ex Ægypto in Palæstinam deducti sunt: Ita & Christus Servator post mortem Herodis ex Ægypto revocatus est, & in terra Canaan opus redemptionis perfecit, sicut potissimum propter Judæos in mundum hunc venerat, Matth. 15. v. 24.

Nos Scripta Mosis & Prophetarum in majori pretio habeamus, quia audimus, quod quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sint, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus, Rom. 15. v. 4.

Sancti Prophetæ & passiones & posteriores glorias prænuñciarunt, quæ in Christo Jesu sunt, 1. Petr. 1. v. 11.

Sicut igitur prædictiones de passione Christi & fidelium ejus impletæ sunt: ita minus dubitemus, quin suo tempore implendum sit, quod nobis Dominus de futura gloria & beatitudine promisit, utrumque enim provenit ab uno Spiritu, qui est Spiritus veritatis, Joh. 15. v. 17. & mentiri nequit, Hebr. 6. v. 18. Hinc Christum semper ad Scripturas se referre, audimus, Luc. 10. v. 26. Matth. 21. v. 42. Matth. 22. v. 29. Hoc ipso Doctoribus Ecclesiæ præbuit exemplum, ut ea, quæ loquuntur ad populum, non propriis præsumta sententiis, sed divinis munita testimoniis proferant, ait Origenes. Hic enim est firmus ille sermo Propheticus, cui recte facimus attendentes, 2. Petr. 1. v. 16. Ad legem & testimonium, Esa. 8. v. 20.

Oremus Deum ut pretiosum hoc verbi sui depositum clementer inter nos custodiat, est enim in gaudium & in lætitiâ cordis nostri, Jer. 15. v. 16. sic lumine hoc collustrati inoffensi in via hujus peregrinationis progrediemur, & tandem feliciter appellemus, in cœlesti patria, ubi nobis Christus *πολιτιμα* morte & sanguine suo acquisivit, Phil. 3. v. 20. Sit ipsi laus & gloria nunc & in æternum,
Amen.